

coivisse, quò etiam inclinatur *Hugo Grotius de jur. B. & P. lib. 1. c. 4. §. 7.* dum inquit primò homines non Dei præcepto sed spontè adductos, experimento infirmitatis segregum familiarum adversus violentiam, in societatem civilem coivisse; alii denique arbitrantur homines in civitatem sese coadunasse, ad mutuò sublevandam indigentiam, quam hæctenus sparsim viventes senserant, cum quibus conveniunt re ipsa & cæteri, eò omnes tendentes factas fuisse societates civiles, ut eò meliùs esset conjunctim viventibus.

Thef. XI.

Nulla tamen harum assertionum adæquatam causam explicare videtur, aliàs sequeretur si per Adami lapsum in vitia non defecisset humanum genus, nullam futuram fuisse civitatem, quod falsum est, utique enim futurus fuisset certus quidam ordo & distinctio parentium & imperantium, æquè ac inter angelos bonos & malos, quorum alii aliis utique subsunt, gradibusque invicem distinguuntur *1. ad Theff. 5. c. 4. v. 16. ad Coloss. 1. v. 16.* Principis Dæmoniorum mentio fit *Matth 9. vers. 34.* quem principatum post peccatum non prius acquisivit, sed secundum conditionem quam ante habuit retinuit, adeo ut Politia inter dæmones & concordia sit qualis inter latrones. *Joh. Wier. Reges, Duces, Marchiones & Comites Internales recenset, cui adde Aüerum process. B. contra J.* assertum meum insuper evincunt pueri & fœminæ, qui ut ab aliis regantur & manuducantur ob imbecilliores adhuc consultandivim necesse habent, quod sanè discrimen in hominibus etiam non lapsis animadvertere licuisset, cum & ipse Salvator noster nullo licet peccato contaminatus sapientia profecisse scribatur; ordo autem talis citra societatem nequicquam potest constitui; regenda ergò tum etiam fuisset societas sed imperio blandissimo, domicilia propria, &